



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 129. Navarræ Rex injecto metu ex Galliis secedens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc XVI.
A.C 1559.

„per Dei providentiam adeptus sum,
„potentiam in omnibus, atque integris
„viribus tibi offero contra quoscunque,
„qui, cujuscunque demum conditionis
„sint, Regni tui tranquillitatem turbat-
„se convinentur. „ Data erat hæc E-
pistola die trigesima prima Octobris, qua
Philippus Rex respondit ad literas a
Catharina Medicæa sorore sua ad eum
datas, in quibus hæc istius Regis au-
xilium adversus Regni perturbatores im-
plorabat.

§. CXXIX.

*Navarræ Rex injecto metu ex Galliis
secedens.*

Thuan. l. 23.
n. 3.

Cum ergo Navarræ Rex se præprimis
in hujusmodi literis perstringi, haud
obscure intelligeret, nunquam suæ se-
curitati magis consultum fore censebat,
nisi e Galliis discederet, hacque ratio-
ne Hispaniarum Regi omnem tolleret
susplicandi obtentum, quo is eo consilio
in Franciam venisse credi posset, ut exi-
guam illam, quæ ei ex conjugis suæ bo-
nis supererat, portionem recuperare vale-
ret: Insuper haud ignorabat, quod Hi-
spani tertiam Navarrici Regni partem Jo-
anni Albreto ereptam possiderent, haud
alio jure suffulti, nisi Julii II. diplomate,
vi cujus Ferdinando Catholico hoc Reg-
num vindicandi facultas dabatur, qua-
propter

propter haud temere verebatur, ne Philippus II. residuam Regni partem sibi vendicare quæreret, innixus declarationi, quam Francisci II. nomine Regina Mater, ac Principes Guisii promulgabant, qui ipsimet, postquam a Navarræ Rege serio discessum parari intellexerant, veriti, ne rursus sententiam mutaret, illum in suo proposito firmare toto studio nitebantur, Regi suggerentes, quod Hispaniæ Reginam ad Regem Maritum suum conducendi Provinciam Navarrensi committere vellet.

§. CXXX.

Navarræ Rex Hispaniæ Reginam ad Maritum suum deducere iussus.

Itaque Navarræ Rex oblatam Reginam in Hispaniam deducendi occasionem acceptans itineri sese accingebat, eumque comitabantur Borbonius Cardinalis, ac Princeps de Rupibus ad Yonem. Vix Navarrensis ad Abbatiam Roncevallensem in Navarrensi ditione sitam pervenerat, cum Reginam Philippi Deputatis, qui erant Burgensis Cardinalis, ac Infantadensis Dux, illico traderet. Interea Regina Francisci II. Mater Condæum Principem Navarrici Regis fratrem ab aula saltem ad tempus removendi obtentum jamjam excogitaverat; huic enim negotium dabat, ut ad Hispaniæ

Sæc. XVI.

A.C. 1559.

*Thuan. l. c.
Belcar.com.
l. 28. n. 33.*